HRABANUS MAURUS
Österreich, 12. Jh.
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26054
Copyright: Admont, Benediktinerstift



hoc est bona terre comesuros se esse didicerant. a quo eis unctionis
oleum infusum et regni gubernacula futura predicta sunt. in quibus fratres
suos ad tempus de manibus hostium suorum eriperent. Quod autem samuel
saul in excelsum ducit et ibi illi refectionem preparat. significat moy
sen et omnes prophetas doctrinis suis populum hebreorum semper ad altiora
provocasse. ut scientia spiritali refecti in culmine virtutum consisterent
ne relaberentur in foveam vitiorum. Quod autem samuhel sauli videntem
querenti apparens locutus est dicens. Ego sum videns. ascende
ante me in excelsum ut comedas mecum hodie. dimittam te mane
et omnia que sunt in corde tuo indicabo tibi. et de asinis quas
perdidisti nudius tertius ne sollicitus sis quia inventae sunt. Erat in corde
saul sicut hebrei tradunt quod rex futurus esset. quia viderat per visum
se in vertice arboris palmae collocari. quae visio signum regale erat.
Cumque abieris inde et ultra transieris et veneris ad quercum thabor in
venient te ibi tres viri ascendentes ad dominum in bethel. Hi viri
causa orationis ibant bethel. ubi iacob lapidem erexerat. Post hec
venies ad collem dei. Collis dei locus erat ubi prophetae habitabant. Et in
siliet in te spiritus domini. et prophetabis cum eis. Prophetasse eum ibi iudei dicunt.
de futuro seculo de gog et magog. et de premiis iustorum. et pena impiorum.
Quando ergo venerint signa hec omnia tibi fac quecumque invenerit manus
tua. quia deus tecum est. ac si diceret his signis nosse poteris. quia deus te regem
fore voluit. et idcirco ad omnia que tibi agenda sunt regaliter age quia
deus tecum est. quod autem signa que predixerat samuhel sauli cuncta ita
venerunt. et ipse saul pertransito quercu thabor qui mons est in medio galilee
campo mire rotunditatis sublimis. et interpretatur veniens. ita ergo
ipse vocatur locus ob aliquod collatum a domino beneficium. prophetavit in
medio prophetarum. ibi consistentium. significat quod iudeis omnia que de eis
legis lator et prophete predixerant ita venerunt. sive in prosperis. sive in
adversis. At tamen ipsi libros legis tenentes et prophetarum. quasi divinasse